

C. B. D.

SPECIMEN
TRACTATIONIS ANA-
LYTICÆ

Quod ad

*L. Si profundo. XXXIII.
Cod. de Transact.*


Adornavit

ÆGIDIUS FRIDEL, J. U. Cand.
Sonnebergâ - Francus.



ARGENTORATI,
Literis JOHANNIS WILHELMI TIDEMANN.
Anno Dei Hominis M. DC. LXIX.

¶(o)¶



AD VIRUM
Magnificum, Nobilissimum, Consultissimum
DOMINUM
JOHANNEM GEORGIUM FORSTER,
JC^{tum} Celeberrimum, Serenissimi Ducis SA-
XO-ALDENBURGICI &c.&c. Consiliarium
Gravissimum, rei pecuniariæ Præfe-
ctum summum, Patronum
meum Magnum.



Q Uām vellem, *Vir Magnifice*, si votō
res mortalium vel desiderio conatus
responderet & industria dignius quod.

dam ac opimum in arâ gratitudinis jam adolere sacrificium , undè gratissimum meum & devotissimum pro modulo pectus posses metiri, simulque studii mei & temporis, quod hîc transagi , expeditam habere rationem; Verum, quod alii, quum thure nequeunt plenâque acerrâ, molâ litant falsâ , id ego nunc imitor. Ingenii namque mei exiguitas & fortunæ conditio plerumque mihi adversa, vota mea ac desideria infirmare & actiones in ipso sàpius conatu nituntur intercidere, ut ita non nisi modica, submissâ mentis veneratione offerre liceat; Spes tamen me fovet pulcherima , quod si hæc serenâ fronte acceptentur parva , levem facient ad graviora viam , ut imposterum gratiores impensi laboris ad oculos *Magnificentia Tua* fructus humiliter deponere queam , aliisq; viis & rationibus summam , quam debo, devotionem contestari. Interea autem ingenita *Magnificentia Tua* hu-

manitas

manitas & favor, quo me, licet immeritum, benignè semper prosecutus es mihi quasi pollicentur, quod etsi summis ac principalibus assiduo TE constrictum sciam negotiis, modica tamen & ad majora adspirantium conatus non sis contempturus. Quod ipsum animo quoque meo devoto calcar addit, ut chartaceum hocce & levidense munuscum humili mente exhibere , tuoque conspectui benevolo exponere audeam. Cæterum, quotiens jucunda illa mentem meam subit recordatio insignium beneficiorum, quibus *Magnificentia Tua*, me servum tuum totamque familiam meam largissimè afficere dignata est , totiens pudore & verecundia totus perfundor ac indignor , quod nihil redhostimenti & aliqualis compensationis loco nobis supersit , quam votivæ pro Tua incolumentate preces & devotissima obsequia , quæ, si benignissimi favoris aurâ in posterum adspirare

(0)


non dignaberis, voti & fortunæ meæ sum-
mam me consecutum credam. DEUM TER
OPTIMUM MAXIMUM, summis & devotis ve-
neror precibus ut *Magnificentiam Tuam* cum
totâ Nobilissimâ Tuâ Familiâ ad seros usque
annos in exoptatissima felicitate conservare,
fospitare & prosperare clementissime velit.

*Per script. Argent. 14. Septemb.
Anno M. DC. LXIX.*

Magnificentia Tua

*Cliens atque Servus
devotissimus*

ÆGIDIUS FRIDEL.



I. N. D. N. I. C.

Thes. I.

EX variis, quibus solent resolvi atque ex-
plicari leges nostræ ordinibus ac methodis, ea
mihi, quæ vel suâ canitie omnibus venerabilis es-
se debet, ad hanc sacratissimam Constitutionem expla-
nandam, hac vice & pro temporis ratione videbatur
aptissima, quâ ea, quæ extra legem sunt, secernuntur ab
iis, quæ in ipsa lege continentur. Utut enim Extrin-
seca hæc, parum utilitatis habere videantur, plurimum
tamen istorum conducit animadversio: Ita namque
cognoscuntur leges apocryphæ, nullam vim obligandi
obtinentes: Cognoscuntur accuratius ipsarum legum
termini quandoque obscuriores, quorum enucleatio ex
coëvis semper Scriptoribus felicissimè potest desumi:
Cognoscitur & conservatur etiam ordo glorioſiſſimo-
rum Imperatorum & quem unaquaque lex, saltem ex
prima legislatione, habeat autem. Cognoscuntur
tandem leges, quæ sint posteriores ad id, ut si quid novi
à prioribus continerant, habeantur correctioræ. Con-
stat enim quod constitutiones tempore posteriores, po-
tiores sint his, quæ ipsas præcesserunt, secundum J. C. t. m.
M O D E S T I N U M in I. ult. Digest. de Constitution.
Princip.

II.

Extrinsica autem absolvunt Inscriptio atque Subscri-
ptio. Illa, Legislatores, causam efficientem, & deinde
subje-

(2.)

subjectum impetrans exhibit: Ita namque concepta est:
Iudem AA. & CC. EUCHRUSIO. Particula *Iidem* ad legem antecedentem XIII. Lectorem remittit, ubi Imperatores illius & insequentium legum exprimuntur, nempe DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS. Ubi de illo notandum, quod Imperator hic, cum multos in dies suboriri novos motus in Provinciis videret & metueret futurum, ut alibi alii crearentur Imperatores, ipse sibi & suo iudicio collegam fidum elegerit, nempe MAXIMIANUM qui ob parilem potestatem nominatur Augustus. Utriusque Parentes ignobiles fuisse Annales testantur. Illius Patria Spalatum, hujus Syrmium: ille ab Orientis & Occidentis exercitibus suffragante Senatu Romano Imperator factus, anno Christi CCLXXXIV. Hic vero anno in sequenti in Consortium Regiminis est assumptus. Erant quidem ambo, rei militaris abunde periti & fortes, sed truculenti atque crudeles, in primis in Christianos, cujus vel sola decantata ista decennalis persecutio immotum testimonium exhibit. Plura de his qui desiderat ipsam historiam Augustam adeat, quam fusius excircere mihi non placet. Circa administrationem Justitiae autem, quales fuerint ex pluribus illorum nomina praeseferentibus legibus, Codici nostro ab Imperatore JUSTINIANO omnibus ferè titulis insertis, quarum in solo titulo de Transactionibus ex qua nostra lex desumpta XXVII. numerantur, colligi & judicari potest. Hæc quoque singularem merentur observationem, quod scilicet tunc, licet Imperii Romani Status planè alias fuerit, Imperator in vivis adhuc, non Collegam solum, sed & successorem sibi designare potuerit. Deinde quod Imperatores suo muneri etiam renuntiare & exire de Imperio valuerint.

III. Per-

(3.)

III.

Personæ cui Augusti Imperatores rescripsere, nominatur EUCHRUSIUS, in editione Gothofrediana. Alii habent EUCHARISIUS, nonnulli EUCHIUS, quidam DIONYSIUS. Ex quibus tamen omnibus, quis vel qualis fuerit, conjecturâ affequi non licet. Privatum, quendam Provincialem fuisse argumento fortè esse potest omissione honoris & dignitatis; quod ipsum tamen tanti momenti non est: Hoc miramur tantis Imperatoribus, tantam affabilitatem fuisse & humanitatem, ut etiâ privatis consilia potentibus responderint saepissime. Vid. SVETON, in vita August. cap. 53. Sicque ad scriptorum classem, hanc quoque Legem spectare est in confessio.

IV.

Subscriptio *Tempus & Locum* notat, quintum scilicet Idum Novembris, Ipsi Imperatoribus Augustis Consulibus; quorum consulatus secundum Dionysium Gothofredum inciderunt in annum Redemptionis nostræ CCXCIV. Locus Melantiada, urbs Thracie ad Propontidem inter Bysantium & Selymbriam sita, tredecim milia passuum à Bysantio in meridiem distans, Episcopali sede aliquando exornata. PHILIPP. FERAR. in Lexic. Geograph.

V.

Jam ad *intrinseca* & ea, quæ in *Lege* sunt progrediamur; Ubi omnium primò terminorum quorundam brevem faciamus exegesin, quod postea facilius pergere possimus. Præmittamus autem ipsa Legis nostræ singularia verba conjunctim.

B

Lex

(4.)

Lex. XXXIII.

Jidem AA. & CC. EVCHRVSIO.

Si Profundo quem petebas, predium certis finibus liberum dari transactionis causa placuit, nec eo tempore minor annis 25. fuisse; licet hoc predium obligatum post vel alienum pro parte fuerit probatum, instaurari decisam litem prohibent Iura. Ex stipulatione sane, si placita servari secuta est, vel si non intercesserit, praescriptis verbis actione civili subdita, apud Rectorem provinciae agere potes. Si tamen res ipsas apud te constitutas, ob quarum questionem litis intercessit decisio, fiscus vel aliis a te vindicavit, nihil petere potes. S. V. id. Novemb. Melaniada. CC. Consul. 294.

VI

Quemadmodum autem JCTi in responsis, ita Imperatores in suis rescriptis, accuratam cuiuslibet facti ejusque circumstantiarum habere soleant rationem, praeposita Partic. SI. cum emphasi adhortatoria docet atque probat. Ut ut enim interdum idem quod *quia* l. TITIVM. 47. §. à matre. 3. Digest. de Administration. Tutor. l. hæc 3. de Leg. i. Interdum idem quod *quamvis* & *autem*. Goedeus ad l. i. num. 17. Digest. de Verb Signif. Sæpius idem quod *quando* TUSCH. Lit. D. conclusion. 73. notat; Hoc tamen loco vim habet significandi causativam antecedentia

(5.)

daneæ propositionis ad casum veritatis narrati facti: Natura siquidem hujus particulae est, non tam causam facere, quam conditionem adjicere negotio. l. demonstratio. 17. §. at. 3. Digest. de Condition. & demonstrationibus.

VII.

Sequitur jam ipse Facti tenor, in verbis PRO FUNDО quem petebas, PRÆDIUM certis finibus liberum &c. Objectū initia hujus Transactionis erat FUNDUS, pro quo parti cōvente PRÆDIUM dari Placebat; inter quæ, qualis sit differentia ex l. locus. 60. in princ. & fin. l. quæstio est. n. 5. l. fundi. n. Digest. de Verb. signif. haud satis declaratur, prout etiam LAURENTIUS VALLA Lib. 6. Elegantiarum inquit. Etsi enim *Fundi* vocabulum de omnibus immobilibus prædicari potest, cum singula Prata, singulæ vineæ, oliveta, Pomaria, Horti, Arbusa, Pascua, Saliceta, Nemora, Aucupatoria, Venatoria, Piscatoria, sive vivaria habeant, sive non habeant, singuli fundi sunt; Sed hoc in agro duntaxat; nam quicquid ex relatis, in Urbe, Oppido, Vico seu Castello est, Prædiū vocatur; tamen exinde patet, quod Prædiū sit terminus magis generalis, quia comprehendit & rustica & Urbana Prædia, & sic ædificia. leg. Urbana prædia. 198. Digest. de Verb. signif. l. ædificia. l. Digest. Commun. Prædior. Unde v. g. Domum aliquam vel ædificium, rectè appello Prædiū Urbanum, sed appellare Fundum, esset ridiculum. JASON in Comment. ad hanc leg. n. 3. Quemadmodum autem Actor EVCHRVSIVS institutæ rei vindicatione Fundum petitum, finibus, nomine, qualitate, formâ aliisque accidentibus designaverat, scil. ut res de quâ lis & quæstio, certò constaret, juxta PAVLVM JCTum in leg. Si in rem. 6. Digest. de Rei

B 2

Vindi-

Vindicat. WESEMB. in Parat. Digest. ad dict. tit. num. 7. in fin. Ita Prædium à Reo Transactionis causa datum certis finibus ac limitibus definiēbatur, liberumque, i.e. neque Serviens, neque alio nexus affectum, per. l. si tibi liberum. 8. l. si &. 51. Digest. de Action. empt. l. si quis. 6. §. Si in vendition. 3. Digest. Comm. Prædior. l. qui. 90. Digest. de Verb. Obligat. vicissim promittebatur.

VIII.

Idque uti dictum, *Transactionis causa dari placuit*. Titulus s. causa possessionis prædii, contra pactionis fidem dati, erat Transactio, & licet verbum *dari* alias dominium transferre significet atque vacuum tradere possessionem, §. sic itaque. 14. Inst. de Action. l. si dari. 25. & l. ubi. 75. §. hæc. 10. Digest. de Verb. Oblig. l. non videntur 167. Digest. de Reg. Jur. l. qui sibi. 33. Digest. de Solutio- nib. hoc tamen loco solummodo conditionem usuca- piendi, quamvis & hæc per petitionem inter rupta fuerit, transferre significat. Termius *transactionis* alias mani- festus est, eoque à pacto differt, quod pactum inter- dum formet atque præparet actionem, transactio autem penitus eam dissolvat, quâ de causâ Græcis JCtis dñis, dicitur, uti ex Novellis hinc inde videre licet. Germanicè, *Bergleichen / quæ vox quid notet videri potest in Consiliis Aldorf. Conf. 99. Wann man sich vergleichen soll / so muß nicht eine Parthen alles nachgeben und verwilligen / und die andere gar auf ihrer meinung bleiben / man muß von beyden seiten einander entgegen gehen / und gleichsam in medio zusammen kommen / sonst ist es nicht anders ein Bergleich quam ut JUVENAL inquit Satyr. 3. vers. 289. Si rixa est, ubi tu pulsas, & vapulo, & apud TERENT. in Adelph. act. 2. scen. 2. ego vapulando, ille verberando usque ambo desessi sumus.*

IX. Quæ

IX.

Quæ sequuntur, *Nec eo tempore minor annis 25. fuit*; Exceptionem continent: Minores enim viginti XXV. annis restitutionem in integrum petere posse, constat ex Tit. Cod. Si adversus Transact. vel division. minor, in integrum restitui velit. Colleg. Iur. Argent. ad Tit. Digest. de minor. Th. 26.

X.

Eventum hujus Transactionis exhibent verba, *Licet hoc Prædium Obligatum post vel alienum pro parte fuerit probatum*. Particula licet idem notat ac *Quamvis* & adversativa est, de qua videatur Archi-Diacon. cap. Licet. de Jur. Jurand. in 6. *Obligatum*, nexus scil. pi- gnoris vel alio, ita ut omnes modi, quibus jus ad rem constituitur includantur, quemadmodum viceversa, verba, *alienum pro parte*, Jus in re habentes, denotare videntur. Ut sensus sit, quod licet poste à apparuerit aliis vel Jus in re, vel Jus ad rem, in illo prædio fuisse consti- tum, tamen quod actum sit inter partes teneat; dummodò id legitimè Probatum. Licet enim actio de evi- cione tum demum competat, Si res actualiter & reve- ra est evicta per l. qui rem. 3. Cod. de Eviction. Quia tamen quando Judici satis probatum est, nihil restat, quam ut Sententia feratur, ideo probatione legitimè factâ res jam habetur evicta, vel quod per pronuncia- tionem sententiæ res obligata alteri vel pro parte aliena apparuit; id enim omnium optime probatum est, quod Judicis probat pronunciatio.

XI.

Ratio autem ob quam Transactione composita fi- nita habeantur, sequitur in verbis *Instaurari decisam litem iuraprohibent*. Transactione enim in finiendis & deciden-

¶(8.)¶

dis litibus Sententiae Judicis æqui paratur, l. 2. Digest. de Jur. Jurañd, non enim minorem autoritatem Transactio-
num quam resum judicatarum esse, recta ratione pla-
cuit. l. 20. Cod. de Transaction. Jam verò cum singulis
controversiis, singulas actiones unusque judicati finis
sufficiat: ne aliter modus litium multiplicatus sum-
mam atque in explicabilem faciat difficultatem, secun-
dum *P AVLVM JCtum.* in L. 6. Digest. de Except. rei
Jud. Idem etiam in transactione obtinet. Unde fre-
quentiores illæ in hac materia phrases & formulæ lo-
quendi; ut in l. 10. Cod. d. Tit. de transact. ibi: *nullus &*
enimerit litium finis, Si à transactionibus bona fide interpo-
sitis, cæpit facile discedi: & in l. 19. Cod. eod. Tit. ibi: Tran-
actionem bona fide finitam rescindi jura non patientur; In
l. 16. Cod. ejusd. Tit. *lites transactionibus legitimis finitas*
resuscitari non oportet; In l. 27. ibi: *nec postulare debueras*
improbo desiderio placita rescindi; In l. 29. ibi: *transactione*
finita rescindi prohibent jura. In l. 30. *Transactione finitam in-*
staurari grave nec non criminosum est; & in l. 35. ibi: *transac-*
tionem rescindi postulantis profectio detegit improbitatem.
Cod. d. tit.

XII.

Quia autem reliqua Legis verba non adeò obscura
sunt & ex iis quæ infra dicemus, lucem foeneratura, ne
longior fiat exegesis, instituti ratio hīc filium abrumpere
jubet. Præmissis itaque hisce protheorematis con-
sequens est, ut textus analysis atque scissionem aggredia-
mur.

XIII.

Quæ non in commodè ita fieri videtur, nempe,
quod in hac lege proponatur *Problema, ejusque Deciso.*
Problema continet (i.) *Factum*, quod duplex: *Prius* est,
quod

¶(9.)¶

quod Euchrusius Actor & Consulens Fundum quem-
piam à TITIO petierit, qui vero possessionis suæ for-
tè conscius, ita transfigit, ut ACTOR à litè discederet &
pro petito fundo, aliud prædium liberum & certis finibus
descriptum acciperet. *Posterior* exhibitur in versiculo,
Si tamen idem Actor ipsam rem petitam ex causa Transac-
tionis quidem obtinuit, fiscus autem vel aliùs ab eo po-
stea vindicavit.

XIV.

(2.) *Eventum*, scil. quod vel Prædium illud libe-
rum & certis finibus à Reo transactionis causa datum,
obligatum post, vel alienum pro parte apparuerit vel re-
licta etiam & dimissa res apud actorem fuerit vindicata.
(3.) *Questum*, an Actor propterea pristinâ actione age-
re, vel damni contra bonam fidem illati restitutionem
vel transactionis annulationem utroque casu & quibus
remediis petere possit!

XV.

Deciso proponitur *in Se* & *in remediis*; *in se per regulam*,
nempè, quod *in staurari decisam item juria prohibeant*. Et in
exceptione, in illis verbis, nec eo tempore minor annis 25
fueristi. *IN REMEDIIS* ad utrumq; factum directis, & quo
ad prius quidem, tum *Negative* quod scil. pristinæ actioni
amplius locus non sit, tum *assertivè* quod scil. pro diver-
sitate conventionis competat vel *Actio ex stipulatu*, vel
Actio Prescriptis verbis: Quodad *Posterior*, denegando
omnem omnino actionem.

XVI.

Hinc videtur manifestum esse, Summam *RAPHA-*
ELIS EVLGOZII, à vero quam proximè abesse, excepto
eo, quod adjunxit Actorem Reo in posteriori casu, pro
restitutione pecuniam dedisse. Longius abire viden-
tur,

tur, qui cum *Glossa* & *Doctoribus* plerisque personas mutant, cumque *Iasone* sic summant nempe Legem hoc dicere : Si transactio facta sit inter Actorem & Reum, quod pro fundo petito, aliis fundus detur actori, & petitus dimittatur, Reo postea contingat fundum traditum ab Actore evinci, non per hoc potest, lis per Transactionem decisa instaurari, sed benè Actor agit ex stipulatu vel præscriptis verbis. Sed si fundus apud Reum dimis-
sus, evinca tur, de evictione frustra agit. Nimia brevitate laborat summa Gothofrediana huic legi præscripta, modo ita sit dicenda. Optima verò & ad textum maxi-
mè accommodata est, quam BARTOLUS, ANGE-
LUS, & SALICETA ad dictam Legem formant.

XVII.

Quæ sic habet, Si fundus ex causa transactionis Actori traditus evincatur, de evictione agi potest: Verum si non est traditus, sed apud transigentem dimissus, eo evictō agi nequit. Nec obstat quod circa hanc summam maximè urgetur, nempe quod si res penes Actorem constituta fuerit, quomodo illam petere potuerit; siquidem objectio ista facile dilui potest, dicendo quod hæc verba ne quaquam ad tempus transactionis, sed vindicationis à fisco vel alio quodam factæ, sint referenda. Adeò ut animum mirari subeat, quæ rationes, Doctorum inge-
nia ad tam varias & ferè divinatorias distractarint explica-
tiones.

XVIII.

Glossa in verbum *Constitutas*, & cum ea Doctores plurimi informatione casus, Personas, ut jam dictum mutare solent, ita, ut in priori parte, Lex agat de Actore, in posteriore vero de Reo. Et ad hanc mutationem personarum, moventur solā mutatione numeri ; cum in princi-

principio in singulati, in fine autem in plurali loquantur Imperatores. Quibus consentit JASON, dicens, quod in hac lege de duobus fundis mentio fiat, quorum alter fuerit datus Actori ex causa Transactionis, loco illius quem petierit, qui si evincatur possit de evictione agi. Postea de alio fundo, non super quo quæstio fuisset & lis, apud reum dimisso, quæsum est, quid Juris sit, Si evincatur, ubi deciditur, quod nihil peti possit, ita ut juxta hanc interpretationem Actor & Reus ab Imperatoribus fuerit allocutus. Verum enim verò, cum nulla satis prægnans ratio sit, & Imperatores soli EUCHRUSIO, uti inscriptio habet, respondeant, quid juris sit, sive pro petitudo fundo aliud prædium, sive Fundum ipsum per transactionem obtinuerit, postea autem ab eo vindicetur : Ne dicamus mutationem numeri in Legibus nostris haud infrequentem esse ; Hinc casum in una persona cum aliis sic formamus,

XIX.

EVCHRVSIVS vendicabat quidem fundum, verum duante lite, per transactionem controversia hac lege composita est, ut Reus fundum retineret, daret verò prædium certis finibus liberum & non oppignoratum ; Reus prædium quidem dedit, sed alienum vel oppignoratum. Quærebatur quid juris ? Num EUCHRUSIUS prisca actione scil. Rei vindicatione fundum repetere possit. Respondebatur, quod non. Sed quod agere debeat, vel ex stipulatione, si stipulatio intercesserit, vel præscriptis verbis actione civili subdita, si non inter cessit. Quod si verò Euchrusio Reus fundum petitum transactionis causa restituit, qui tamen postea à Fisco vel alio sit evictus, itidem quærebatur, num hoc casu Euchrusio propter rem evictam daretur regresus adversus Reum cum quo fuerit transactum ? quod negative decidebatur

C

XX.

XX.

Ex hac figuraione casus ut & subjuncta ab Imperatoribus actione præscriptis verbis, optimè patere arbitramur, quale hic contractū fuerit negotium, quippè cùm ea solum descendat vel ex contractū innominato, *Dou Des*, vel *Do ut Facias*. juxta l. naturalis. 5. §. at cùm do. 2. Digest. de Præscript. verb. Etsi enim id Nonnulli in dubium trahere velint, & obtinere, gestum hic fuisse negotium, *Facio ut Des*, i. e. à lite recedo simulque tibi fundum relinquo, ut mihi des aliud prædium, hancque speciosam suam sententiam probare conantur, ex d. 1. naturalis. 5. §. quod si faciam. 3. Digest. de Præscript. verb. Verum dubium hoc, nos ita facile decidimus, asserendo hic negotium, *Do ut Des*, non verò *Facio ut Des* intervenisse: Vel quod probabilius videtur, fuisse negotium articuli *Do ut Facias*, i. e. dabo tibi aliud prædium, quod per omnia liberum est, hac lege, ut tu viciissim à lite contra me institutâ & à petitione fundi, quem im præsentiarum possideo, desistas. arg. l. cum mota. 6. Cod. de Transact. Ex utroque autem articulo nascitur actio præscriptis verbis. Ast Jllis, qui pro permutatione pugnant, quod illa in lege nostra inita fuerit, satisfacit egregiis & perspicuis rationibus JASON. in Comment. in Cod. ad hanc Leg.

XXI.

In Perfectione Legis nostræ nihil quod alicujus momenti esset vel longiori animadversione dignum, deprehendimus. Nam quod consulens aliis atque aliis pro varietate Editionum insigniatur nominibus, jam supra in Th. 3. fuit indicatum, quibus add. RUSSARD. de var. lection. Utrum autem post verbum *obligatum*, particula vel melius interseratur, ut quidam legunt, an verò

verò elegantius omittatur, ut vulgaris facit, id etiam tanti momenti non est, cùm sensu ineque multum decedat, neque accedat. Siquidem ad quæstionem Evictionis, vel utrum Transactionis possit resolvi, alterutrum sufficit; sive enim obligatum vel alienum fuerit prædium, consulenti subvenitur. Quod porrò annus nostræ Redemptionis à Domino GOTHOFREDO subiectus, uti in pluribus locis aliis, ita & hac nostra lege, incuria fortè Typographi, centesimus pro ducentissimo positus sit, tūm ex subjunctionis Consulibus, tum antecedenti & in sequenti lege cuilibet facile patebit.

XXII.

In Ethiologia seu inquisitione causarum, distinctim procedamus: Sunt hæc, vel *vere* vel *apparentes*: De his infra dicendi locus erit, ubi de legibus pugnantibus videbimus. Illæ continent rationem actionis *denegatae* vel *concessæ*: *Denegatae*, in quæstione, utrum ob prædium, contra Transactionis placitum, obligatum vel alienum, consulens pristinâ actione, i. e. Rei Vindicatione, rescissâ transactione, uti valeat; quæ negativè deciditur, & quidem cum expressa causæ adjectione (quæ verò litigioso nostro seculo ad omnem disputandi occasionem præcidendam melius omittitur, licet inseri quandoque urgentes ob causas exemplo hujus Legis non noceat) nempe, quia instaurari decisam litem jura prohibent, Et pro hac servandâ solidissima congruunt principia, quæ tūm ex Moralibus, tūm Politicis hauriuntur. (1.) quia id contrariatur principiis humanarum actionum. (2.) Injustum est, cum omnis Transactionis fiat per conventionem. l. transactio. 38. Cod. de. Transact. Nihil autem fiduci humanæ ita congruit, quam ut ea, quæ semel placuerent serventur. l. hujus edicti, i. Digest. de Pact. (3.) Pu-

blicæ privatæque utilitati id adversatur; Cum inter sit promovere in societate civili tranquillitatem, litesque non resuscitari, adeò, ut omnibus populis receptum sit, ne lites voluntariè finitæ instaurentur. GROTIUS in flor. spars. ad. Tit. de Transact. arg. I. singulis. 6. Digest. de Except. rei jud.

XXIII.

Quod autem attinet rationes, ob quas Actori *novum remedium* vel *conceditur* vel *denegatur*, & in priori quidē casu, quando scil. prædium Transactionis causa datum, posteà evictum est, hæ sunt, Quod illud habuit ex causa onerosa: ubi regula est perpetua, quod evictio præstanda sit, licet nihil de ea inter partes fuerit expressum, per I. exempto. II. §. et. I. Digest. de Action. empti. I. non diribatur. 6. I. si permutationis, 29. Cod. de Eviction. I. sicut. I. Digest. de Rer. permut. I. ult. Digest. Condit. causa data. I. si quis. 9. Digest. Locat. conduct. Quod verò transactionis causa datum, titulo oneroso percipiatur, probat BEROUS Volum. 2. Cons. 169. n. 19. Et confirmat Dn. CARPZOY. p. m. part. 2 const. 34. defin. 28. sequenti hoc præjudicio de anno 1620. in Causa ANDREÆ Rödels zu Aluma. verba Sententiae sic habent. *Habt ihr Melchior Lödeln / vermög einer aufgerichteten Vergleichung und Transaction eine Handschrift über 300. fl. übergeben / und ihm solche Schuld cediret und abgetreten / und es wird fürgeben/ daß solche Schuld albereit einmahl bezahlt worden &c. So seit ihr ihm vorherürte Schuld und Handschrift zu gewehren schuldig von recheswegen.* Deinde, quia Reus egit tam contra placitum quam legis dispositionem, juxta quam fundum non obligatum & liberum dare placuit. I. Si præd. 4. Cod. de Evi-
tation. I. in vendition. Digest. de Action. empt. Et ita à Domi-

Domino vel redimere, vel creditoribus, ne ob hypothecam evinceretur, satisfacere debuit. I. non dubiam. 14. §. fin. Digest. de Legat. 3.

XXIV.

Causa ob quam is, qui rem ipsam super quālis fuit, reliquīt & dimisit, licet posteà eadem fuerit evicta, non sit obligatus, est; (1.) quia rem secundum transactionem restituit, adeoque actori juxta desiderium suum satisfecit; Nam quod restituitur, id cō jure & conditione restituitur, quo fuit apud adversarium. I. restituere. 35. Digest. de Verb. signif. (2.) injustum omnino effet, si Reus rem petitam actori dimittens, qui Dominus rei non fuit, evictionis nomine amplius teneretur, & ita deterioris conditionis fieret quam aliis venditor, ad quem casus post venditionem perfectam contingentes non pertinent. per I. LUCIUS TITVS. II. & I. si servus, 21. Digest. de Evi-
ct. I. 26. Cod. eod. Tit. imò hac ratione iniquis actor doli sui præmium ferret, contra I. 31. Digest. de recept. qui arbitrium recepe. I. I. §. I. Digest. de Dol. mal. & metus exception. Nulli autem prodesse debet religionem judicantis circumvenisse. I. I. Cod. si Tutor vel Curat. falsis allegation. excusatus sit. (3.) quia si quid damni ex inde sentit, cum suâ culpa sentiat, sentire non videtur, per I. quodquis 203. Digest. de Reg. Jur. Hinc quartò cautum est, quod si de retinenda re Transactionis fuerit, licet posteà evincatur, non teneatur Reus de evi-
ctione. I. 80. §. pen. Digest. de R. V.

XXV.

Notat ANTONIUS MORNACIUS in observationibus ad Digest. & Cod. h. t. & ad hanc legem, quod interpretes hanc certissimam regulam exinde forment: Quod si ex causa Transactionis fundus detur, evictio debeat, Sive rò dimittatur non, æquè. Ubi tamen exce-
C 3 ptio

ptio statim subjungitur, in pecunia transactione data vel pacta, proximè ad verum rei pretium accedente, ex Chopingio ad Consuetudines Andavenses Lib. 3. Cap. 1. libr. 5. n. 3.

XXVI.

Secundò notant Dd. quod id etiam procedat in arbitramento, cū & hoc sit quædam transactio. MORLINUS in Emporio Juris, part. 1. Tit. 4. quæst. 1. n. 8. Tertiò, quod ex titulo transactionis nō solum Dominium transferatur in eum, cui res est tradita, non autem in eum, cui res est relicta. MENOCHIUS Consil. 381. n. 2. Verum etiam conditio usucapiendi seu præscribendi cum Tit. Transactionis, etiam ad præscribendum, quamvis secundum modo dictam distinctionem, sufficiens sit. I. cum solus 29. Digest. de usurpat. & usucap. & l. ex causa Transaction. 8. Cod. de usucap. pro empt. vel Transact. AUGUSTIN. BARBOSA. in Collectan. in Cod. ad hanc leg. BALB. de præscript. 3. part. 1. q. 3.

XXVII.

Sequuntur tandem & ea, quæ Legi nostræ hinc inde obstat evidentur. Inter quæ agmen quasi ducit l. 28. Cod. hoc tit. Quâ quidam moti existimarunt, quod actor pristinam actionem, nempè Rei vindicationem repetere possit, propterea, quia neque datio neque factum & ita nudum tantum pactum intercesserit. Jam verò expediti Juris est, quod ex eo non competit actio. Verum hoc non obstante contrarium sentimus propter expressa verba legis, scil. quod jura litem decisam instaurare prohibeant. Et ad d. l. 28. respondemus pristinam actionem per transactionem ibi non fuisse extintam, nec in totum à lite recessum, sed id duntaxat inter eos convenisse, ut non amplius ageretur, quæ tamen intermissione actionis

actionis nuda promissione facta, admodum imperfecta est, cum qui hodiè promittat, nihilominus alio tempore agere possit. Insuper ipsa verba dict. legis inquit, quod tantum nudum pactum intervenerit, ibi: *quamvis ex Pacto non potuit nasci actio*; nam verbo pacti ita simpliciter posito, semper intelligi solet nudum, ut notant Dd. ad dict. leg. In nostra vero facti specie transactione non est nuda; quod colligitur ex concessione actionis præscriptis verbis, siquidem ex nudo pacto, uti dictum, nulla datur actio. Et ita hæc antinomia distinctione inter transactionem non nudam & nudam optimè tollitur.

XXVIII.

Alterum quod objici solet argumentum, desumitur à Simili: quemadmodum enim in omnibus contractibus innomminatis pœnitere licet. l. 5. Digest. de conditione causa data. Ita etiam in primis in permutatione l. naturalis 5. §. 1. Digest. de præscrip. verb. adeoque EUCHRUSIUM potuisse pœnitere, fundum acceptum reddere, & ad pristinam actionem redire, colligunt, præsertim in hoc casu, quo fundum non liberum, aut alienum accepit, idque propterea, quia expeditum sit transactionem esse speciem quandam permutationis. Verū respondetur, quod hic omnino distinguendum sit inter permutationem simplicem & eam, quæ fit causâ transactionis. De illa verum est, quod pœnitere licet per dict. l. 5. In hac autem non item; idque propter odium litium, per notabilem text. l. 39. Cod. de Transact. Quæ ratio specialis, ut in hoc, ita & aliis pluribus juris articulis, multa singularia introduxit. l. ult. princ. Digest. pro suo l. 31. Digest. de Reb. Cred.

XXIX.

Tertium quod urgent, desumitur ex arg. l. 65. in princ. Digest.

Digest. de Condict. indebiti, nempe hic potius condicitionem sine causa dandam videri, eò quod Actor permisit Reo fundum ob causam, quæ secuta non est, scil. ob fundum ipsi à Reo dandum liberum, qui tamen datus est, obligatus. Verum respondetur, quod in nostra lege non tam de hac actione quæatur quam multo magis, utrum pristina per transactionem extincta rei vindicatio competit, nec ne id quod negatur. Attamen quod nec dictæ conditioni locus sit, utut alias in contractibus innomitis regulariter concedatur. I.5. Digest. de condict. ob caus. propter rationem in præcedenti Thesi indicatam, colligere licet ex illis verbis, instaurari litem decisam jura prohibitent. Quotiens enim practici contractus ex causa transactionis initi sunt, totiens hæc condicitione cessat. I. 3. in dict. tit.

XXX.

Ne autem videatur, quasi hac ratione, perfidia adversarii maneat impunita, Imperatores aliis consiluere remediis, quibus, ratâ manente Transactione, i. e. Omissa lite de qua transactum fuit, experiri potest pars læsa. Quorum primum est notissima illa actio ex stipulatu, dummodo stipulatio placiti servandi causa fuerit adjecta. Etenim, si haec non intercessit, tunc, ne actor rebus suis defraudetur, datur ei actio præscript. verb. Quæ actio ut potè ex Civili obligatione manans, Civilis est, & similis ordinariarum, præterquam, quod non certis formulis concepta est, sed tanquam Lesbia regula ad qualibet facta accommodatur, eaque sic agitur, ut nullum certum actionis genus, aut nomen in libello exprimatur. WESENB in Parat. Digest. de præscript. verb. n. 6. TREUTLER. Volum. I. disputat. 30. Th. 6. Lit. D.

XXXI.

Hæc sunt, quæ pro instituti ratione & mediocritate ingenii, hæc, vice dislēuisse sufficiant. DEO Ter Optimo,

Terque Maximo, sit Laus Honor
& Gloriæ.

F I N I S.